IO. FRID. BLVMENBACHII
ORDINIS REGII GVELPHICI EQVITIS
PROF. MEDIC. BRITANNIAR. HANNOVERAEQVE REGI AB AVL. CONSIL.
SOCIET. REG. SCIENTIAR. GOTTINGENS. SODALIS
ET A LITTERIS EIVS SECRETIS

SPECIMEN HISTORIAE NATVRALIS EX AVCTORIBVS CLASSICIS PRAESERTIM POETIS ILLVSTRATAE EOSQVE VICISSIM ILLVSTRANTIS.

GOTTINGAE
APVD HENRICVM DIETERICH
MDCCCXVI.

Ab eo inde tempore quo ſtudia mea maturiora et academicam praeſertim vitam phyſiologiae inprimis et hiſtoriae naturali excolendae impendere ſtatueram, facile intellexi, quanti praeter ipſius naturae indagationem, imo vero et ad eam ipſam dirigendam et facilitandam, proficiat veterum in iſtis disciplinis claſſicorum magiſtrorum noſtrorum et exemplarium diligens lectio, in quibus praecipue immortalium duumuirorum, etſi vt aetate qua floruerunt, ita ingenio et ſcribendi ratione valdopere diuerſorum, Ariſtotelis inquam et Galeni, iſtius nempe zoologica ſcripta, huius vero phyſiologica, pro ditiſſimis et adhuc inexhauſtis theſauris habere didici.

Miratus quidem ſum initio, cum toties in iis citatos legi veterum poetarum, Homeri, Euripidis, aliorum locos, quos tamen mox non ornatus cauſſa, ſed tanquam magni ponderis in re ipſa auctoritates allatos eſſe ſenſi, adeoque hoc ipſum ſtimulum quaſi admouit et hos venerandae antiquitatis fontes, horis ſubſeciuis adeundi, e quibus praeter multifariam voluptatem, ad ipſas quoque

 iſtas

disciplinas proxime facientium obferuationum minime vulgarium copiam haurire licuit, aut quae faltim ad vlterius inquirendum aeque inexfpectatam ac opportunam anfam praeberent, eadem ratione qua et antiquae artis admiranda quae reftant opera, in quorum contemplatione quoties occafio fert, lubenter pafcor et recreor, non parum ad naturae ftudium mihi profuiffe fateor.

Cumque fpecimen hiftoriae naturalis, artis antiquae operibus illuftratae, quod ante aliquot annos fodalitio noftro obtuli *a)*, gratum fuiffe viris doctis et huiusmodi ftudiis fauentibus acceperim, parem eorum gratiam me initurum fpero, fi nunc fimile fpecimen naturalis hiftoriae ex auctoribus claffıcis vtriusque linguae illuftratae, eosque viciffim illuftrantis exhibeam. In cuius felectu me in praefentiarum vnice in nonnullis continebo, quae ex poetis et hiftoriarum fcriptoribus haufta funt, intactis iis auctoribus, qui ex profeffo hiftoriam naturalem tractarunt.

Quae quidem, etfi pauca faltem e multis felecta, aperte tamen teftabuntur, quanta fuerit in iftius veteris aetatis viris in obferuando res naturales accuratio, oculorum confuetudine aeque ac attentionis acumine parta.

In quorum quidem enarratione eum feruare liceat ordinem vt primo aliqua eorum, quae ad phyfiologiam tanquam philofophiam naturalis hiftoriae attinent, tum ea quae fingulas quasdam rerum naturalium fpecies fpectant, recenfeamus.

§. 1.

Infignis irritabilitas linguae.

Initium equidem faciat Ovidii viuidiffimae in exfecta lingua irritabilitatis defcriptio, vbi nefandum Terei Thraciae regis facinus in vxoris Procnes forore Philomela patratum refert *b)*.

— — com-

a) *Commentationum* vol. XVI. Claff. phyficae pag. 169.

b) *Metamorphof.* VI. 556 fqq.

— — compreſſam forcipe linguam
Abſtulit enſe fero. Radix micat vltima linguae,
Ipſa iacet, terraeque tremens immurmurat atrae.
Vtque ſalire ſolet mutilatae cauda colubrae,
Palpitat, et moriens dominae veſtigia quaerit.

Quae quidem quoties quondam legeram ad licentias poetarum referre ſolebam, quibus ſicut pictoribus talia audendi ſemper fuit aequa poteſtas, donec meliora edoctus ea maximam ſane partem ad ipſam naturae veritatem compoſita eſſe hisce meis oculis viderem.

Cum enim praeter opinionem, quam hactenus de inſigni linguae humanae aliorumque mammalium irritabilitate tenebam, viderem egregium phyſiologum, EVER. HOME ſodalem noſtrum adeo eam vim inſitam iſtius organi minuere, vt carnes eius minus irritabiles dicat quam fere vllam aliam partem corporis c), in id incubui, vt grauem huncce diſſenſum tum quod caput rei erat, propriis experimentis, tum vero et collatis aliorum ſuper hoc argumento obſeruationibus dirimerem.

Nuspiam equidem vberiorem meſſem obſeruationum huc facientium expectabam, quam in tot tantisque de irritabilitate Halleriana ſcriptis, quibus innumera in diuerſis muſculoſis partibus animalium experimenta ſiue ad ſtabiliendam ſiue ad refutandam eam doctrinam ab vtraque parte inſtituta deſcribuntur.

Verum quod non raro in huiusmodi disquiſitionibus contingit, vt omnia alia inuenias praeter id quod vnice quaeris, id et mihi tum accidit, cum, quod ſane mirari ſatis nequeo, neque in propriis primi noſtri ſodalitii praeſidis de celebri ſuo inuento ſcriptis, ex quibus principes ipſis Regiae Societatis commentariis continentur, neque in aliorum ſiue aſſeclarum ſiue aduerſariorum eius operibus,

c) v. EI. *Obſervations on the ſtructure of the Tongue* etc. in *Philoſoph. Transact.* for 1803. pag 211. "*The internal ſtructure of the tongue is leſs irritable than almoſt any other organized part of the body.*"

ribus, vel vllum ſuper irritabilitate linguae experimentum aut obſeruationem reperire mihi licuerit.

Neque meliore fortuna vſus ſum in euoluendis de Galuaniſmi, vt vulgo audit, auctoribus, in quibus etiam ſpe quam conceperam fruſtratum me vidi.

Imo vero in magno et immortali Halleri opere phyſiologico, quod pandectas huius disciplinae dixeris, totum hoc de quo agitur argumentum, non vt prouerbialiter aiunt, ſed reuera tribus verbis ita abſolutum eſt: "*irritabilitate lingua gaudet*" *d*).

Ab his ergo conſultoribus deſertus, eo diligentius quoties occaſio ferebat, linguam ex calidi ſanguinis quadrupedibus ad alios fines recenter iugulatis exſecui, et quidem nominatim canum, felium, caprarum, ouium et cuniculorum, et in his omnibus inſignem, etſi vel in variis eiusdem ſpeciei indiuiduis diuerſo gradu ludentem, disſectae ſed adhuc calentis linguae et tam mechanicis quam chemicis ſtimulis varie affectae, irritabilitatem miratus ſum, e quorum experimentorum numero vnum ſaltem memorare liceat, hisce ipſis diebus a me obſeruatum, et Ouidianae deſcriptioni ad amuſſim reſpondens.

Curaui vt boui quadrienni me praeſente vaſorum maiorum colli diſſectione iugulato lingua vitali adhuc turgore recenter calens exſcinderetur, itemque tam celeriter quam fieri poterat, cor animantis, vt huius viſceris, omnium quae nouimus longe maxime irritabilis, oſcillatorium motum cum eo linguae comparare liceret. Cum vero vtrumque viſcus eodem tempore iisdem ſtimulis mechanicis, cultri nempe inciſuris et acus ictibus vellicarem, lingua transuerſim ſecta cordi vltra ſeptem minuta prima, omnibus adſtantibus ſuperuiuere, et in vniuerſum fere ad horae quadrantem fibrarum ſuarum

d) *de corporis humani fabrica et functionibus* T. VII. pag. 310.

rum motricium ofcillationes feruare conftitit, qui quidem motus dum linguae anteriorem partem transuerfim inciderem tam viuide eius apicem conuellebant vt lanii vxor eos ictibus disfectae anguillae compararet, perfecte vt Ouidius mutilatae caudae colubrae.

Verum his periculis a me ipfo in animantibus captis, coronidis loco iungere liceat fimilem obferuationem in ipfa humana lingua factam, cuius notitiam defideratiffimo REIMARO debeo, fodali quondam noftro venerando.

Puer Hamburgenfis comitiali morbo grauiter correptus, violentiore paroxysmo linguae anteriorem partem fibi ita demordit vt non nifi tenui lacinia adhuc adhaereret. Cum ergo hocce fegmentum non folum functioni ineptum, verum et aegro valde moleftum effet, breui illud amputare neceffe erat. Quod quidem cum medicus domefticus Cl. CHAUFEPIE′ manui imponeret, non fine admiratione illud viuide palpitare vidit. Vt vero ab omni fallacia fibi caueret fi forte is motus ab actione mufculorum propriae volae penderet mox fruftum linguae fundo feneftrae impofuit quod autem et tunc mouere fe adhuc per plura minuta prima pergebat, imo vero, quod omnes adftantes mirabundi vno ore teftabantur, paululum locum mutare et quafi prorepere vifum eft. Externi ftimuli, acus aut adfperfi falis, fimiles quidem motus excitabant, vix tamen ab iftis fpontaneis vllo modo diuerfas.

Aut grauiter ergo fallor aut infignis conftat linguae carnibus irritabilitas et Ovidio in exquifita phaenomenorum eius defcriptione, fides.

§. 2.

Ophthalmia niualis.

XENOPHON in claffico et lectores tenente de Cyri minoris expeditione opere memorat *e)* multos milites exercitus graeci cui media hieme

e) IV. 5. pag. 294. ed. TH. HUTCHINSON quartae (curante PORSON) Cantabrig. 1785. 8.

hieme (circa initium Ianuarii noſtrae temporis rationis) niuoſi Armeniae montes Euphratem inter et Phaſin ſuperandi erant, intolerabili niuis ſplendore occaecatos fuiſſe, cui vero moleſtae affectioni aut praecauere aut mederi ſtuduerint, nigri quid (μελαν τι) oculis praeligando.

Ipſam hanc niualem ophthalmiam, qua et noſtrates hiberno tempore paſſim corripiuntur alpinis praeſertim et borealibus plagis endemiam eſſe conſtat, ita vt Lappones a venatione rangiferorum ferorum redeuntes non raro omni propemodum oculorum vſu per aliquot dies deſtituantur *f*). Groenlandi maxime menſibus Maio et Iunio hoc oculorum morbo afficiuntur, cui ſi diutius duret cutis ſupraorbitalis inciſione mederi ſtudent *g*). Eskimotae inprimis hac ophthalmia laborant, quando niuis longe lateque campos tegentis ſuperficies paulisper liquefacta denuo glaciali quaſi cruſta obducitur. Photophobiae iungitur moleſta ſenſatio primo quaſi arenulae in oculos incidiſſent, ingraueſcente vero malo ac ſi fortiſſimus pulvis ſternutatorius illapſus eſſet. Simul violentiſſimo blepharoſpasmo tonico corripiuntur, quae quidem affectiones raro inter decem dies tolluntur, non raro vero per quatuor hebdomades durant *h*).

Inter mechanica remedia quibus barbarae gentes ad arcendam eam ex intenſa luce a niue reflexa occaecationem vtuntur, bina memorare liceat, quae mihi ad manus ſunt. Alterum eiusdem generis cuius Xenophon meminit et in iisdem quoque orientis regionibus adhuc vſitatiſſimum. *Nigri aliquid* quod oculis praetenditur; reticulum nempe ex pilis equinis contextum, antrorſum paulo conuexum, ne palpebrarum liberum motum impediat. Extat inter ethnographica memorabilia muſei noſtri academici, dono deſideratiſſimi et meritiſſimi noſtri quondam Sodalis, Generoſiſſimi L. B. DE

ASCII

f) v. de his poſt alios KAVD LEEM *de Lapponibus Finmarchiae* pag. 52.

g) CRANZ *Hiſtorie von Grönland* I. pag. 297.

h) G. CARTWRIGHT's *Journal during a Reſidence of nearly 16 years on the coaſt of Labrador.* vol. I. pag. 102.

Asch qui tum litterarios Georgiae Augustae thesauros, tum et meam rerum naturalium supellectilem per longam annorum seriem innumeris muneribus ditauit. Annotauerat, apud Tattaros in vsu esse, praesertim quando hiberno tempore venantur aut peregrinantur, et vernacula earum lingua *Kaar-yoeslik* vocari, quod ocularem fasciolam significet *i*).

Altera istarum machinarum longe diuersa ratione a barbaris Eskimotis orae Labradoricae accolis fabrefacta est. Quanquam quidem apud Henr. Ellis, Dav. Cranz aliosque, qui boreales istas Americae orientalis regiones adierant auctores, plura de miranda sagacitate legeram, qua Groenlandi et Eskimotae perspicilla sua niualia (aut *oculos niuales* vt ipsi vocant,) conficere norunt, minus autem accurate nec satis clare descripta viderentur, amicum ex communi fratrum euangelicorum rogaui, vt saltem curatiorem eorum notitiam ex istis terris, vbi horum fratrum coloniae florent, mihi conciliaret. Plura praestitit vir humanissimus et haud ita pridem genuino huiusmodi perspicillorum ocularium exemplo ab ipsis Eskimotis coloniae Hoffenthal orae Labradoricae effictum mihi misit; quod quidem, siue simplicitatem inuentionis spectes, siue accurationem qua fabrefactum est, vsui cui destinatum est ad amussim respondentem, magnam sane istorum barbarorum in leuandis vitae suae incommodis ingenium et acumen testatur. Pauca ad illustrandas icones (— fig. 1. 2. 3. —) quibus ea machinula delineata est, sufficiant. Materiam praebet lignum leuissimum, populneo simile ex eorum memorabili et quod natiuam ipsorum originem spectat adhuc aenigmatico genere quae periodico maris accessu ad oras boreales terraquei globi aduehuntur. Auersa facies (— fig. 1. —) quae nasum tegit, satis alte exscalpta ne libero oculorum motui obsit. Infe-

i) de simili apparatu quo Persae ad praecauendam ophthalmiam niualem vtuntur v. Chardin *voyages* T. I. pag. 211, et Io. Bell's (of Antermony) *Travels* vol. I. pag. 84.

Inferiori margini qui genis applicatur, vtrinque ſulcus inciſus (—*a.*—) vix alium in finem quam vt tanquam aquaeductus lippientium oculorum lacrumis facilem defluxum concedat. Anterioris lateris ſuperior margo prae inferiore magis prominulus (—fig. 3. —) vt ceu vmbraculum tum niuem, tum et quodammodo ſolis radios arceat. Reliquum latus (—fig. 2. —) fuligine atratum quae aliam praeſtringentis lucis partem abſorbeat. Fiſſurae denique ad perſpiciendum paratae, anguſtae, conniuentibus palpebris aequiparandae. Egregium et finibus ſuis ad amuſſim reſpondentem vſum ſimplicis huius machinulae vt in me ipſo ſaepiſſime experirer infauſtam nuper nactus ſum occaſionem cum per plures menſes graui et pertinaci blepharoſpaſmo tonico correptus, quoties tamen luce clara praeparata anatomica aliasque res naturales curatius contemplari neceſſe erat, nullum aliud adminiculum aeque commodum inueni ac ipſa illa de quibus agimus perſpicilla niualia Eskimotarum. Praeterea vero etiam, quod ad vnum omnes teſtantur qui eam machinulam in muſeo meo videntes periculum fecerunt, teleſcopii loco inſeruit, quo quidem fine, barbaros quos modo diximus, etiamſi niuis ſplendore minus perſtringuntur, vnice ad remotiora obiecta diſtinctius obſeruanda eam oculis admouere, Elliſius commemorat *k*).

§. 3.

Xanthoopia ictericorum.

Arquatis obiecta quae viſu percipiunt flaueſcentia apparere ex binis fere annorum millibus adeo peruulgata opinione receptum erat vt et metaphorice in locutionem abierit. Notiſſimus inprimis eſt Lvcretii locus:

Lurida — fiunt quaecunque tuentur
Arquati, quia luroris de corpore eorum
Semina multa fiuunt ſimulacris obuia rerum;

Multa-

k) pag. 143. edit. vernac. Gottingenſ.

Multaque ſunt oculis in eorum denique mixta,
Quae contage ſua palloribus omnia pingunt *l*).

Ita et aequalis eius Varro: arquatis et veternoſis lutea quae non ſunt, aeque vt lutea videri *m*); et poſt hos Galenvs *n*) et innumeri eius ſequaces, ad Boerhaavivm vsque *o*) eiusque aſſeclas.

Primus vero quantum noui illud de flaueſcente viſu eorum qui morbo regio laborant aſſertum, in dubium vocauit Hier. Mercvrialis *p*) et praeter alios nuperis temporibus magnae auctoritatis duumuiri, Hallervs quondam noſter *q*) et Morgagni *r*).

Medium denique inter vtramque ſententiam eatenus tenuere poſt Fr. Hoffmannvm *s*), Ant. Dvrazzini *t*), F. Bvzzi *u*), et Th. Percival *x*) vt rarius quidem, vtique tamen, in nonnullis ictericis eum de quo agimus luteum viſum obſeruarint: eumque curata inquiſitione, paſſim etiam anatomica disſectione oculorum ictericorum, extra dubitationis aleam poſuerint.

Omnibus vero rite collatis rarior ea ictericorum *Xanthoopia* (vt eam affectionem appellare liceat) eo redire videtur, vt primo ſupponat mediorum pellucidorum quae lucis radii transeunt, humoris inprimis aquei et cryſtallinae lentis, flaueſcentem tincturam; tum non adeo lentum ſed magis repentinum morbi aggreſſum aut augmentum; denique autem et perceptionem in ſenſorio viuidam

l) l. IV. v. 333 ſqq.
m) in *Eumenid.* ad calcem libror. de L. L. vol. I. pag. 274 ed. Bipont.
n) v. c. *de Symptomatum cauſſis* I. 2. et alias.
o) *Praelection. in inſtitut.* §. 544. T. IV. pag. 273, et §. 840. T. VI. pag. 228.
p) *variar. lection.* l. VI. c. 12. pag. 357. ed. Paris. 1585.
q) ad Boerhaav. *praelect.* T. IV. l. c. et *elementor. phyſiolog.* T. V. p. 488.
r) *de ſed. et cauſſ. morbor.* etc. ep. XXXVII. art. 8. T. II. pag. 74. ed. Venet. 1761.
s) *Oper.* T. III. pag. 302.
t) v. *Raccolta di opuscoli medico-pratici* vol. I. 1773. pag. 269.
u) in *Opuscoli ſcelti ſulle ſcienze* etc. T. V. 1782. pag. 94.
x) in Ei. *Works, literary, moral, and philoſophical* ed. 1807. T. II. pag. 228.

animumque intentum. Quae quidem cum rarius ſaltem arquatis contingant, facile eſt intellectu cur pauciſſimi eorum de croceo obiectorum viſu conqueruntur. Contra noui feminam generoſam et ingenii dotibus excellentem cui, ſatis repentino et graui ictero correptae inprimis omnia lintea, mappae etc. luridae et quaſi male lotae aut non ſatis inſolatae apparebant. Quos vero lente tantum et quaſi pedetentim morbus ille inuadit, hi non magis eam obiectorum flauedinem ſentient quam ſenes, quibus lentem cryſtallinam aetate valde prouecta luridam reddi nouimus. Quodſi autem eiusmodi tinctura vni ſaltem oculo acciderit, altero intemerato, ea colorum diuerſitas in candidis et lucidis obiectis non minus facilis obſeruatu erit, ac in aegrotis quibus poſt cataractae depreſſionem, vſu ſulphatis cupri laboranti oculo applicati, obiecta quae eo cernebant, aliquamdiu in caerulum colorem vergere videbantur *y*). Et ſimile quodammodo viſus vitium paſſim iis contigiſſe notum, qui vnius oculi intenta acie diutius dioptricis inſtrumentis vſi ſunt. Ita celeber quondam phyſicus Jac. Rohault poſtquam continuis duodecim horis proelium ex longinquo teleſcopii ope ſpectauerat, ab eo inde tempore obiecta dextro oculo, quem tunc adeo fatigauerat, aliter colorata vidit quam ſiniſtro. Idemque in me ipſo ſatis diu expertus ſum, cum obſeruationibus microſcopio compoſito inſtitutis per plures dies ſtrenue incubueram.

Haud probabile vero videtur quod paſſim de binis claris pictoribus, J. Jouvenet *z*) et Gav. Hamilton *a*) relatum legimus, pigmentis eos in tabulis ſuis ideo minus bene vſos eſſe, quod ſimili organico oculorum vitio laborarint, ideoque obiectorum colores non ad

y) cf. v. c. Ios. Mohrenheim in *Wiener. Beytr. zur practiſchen Arzneykunde* vol. I.

z) v. Voltaire in *Siècle de Louis* XIV. Oper. T. XX. pag. 202. ed. Gothanae.

a) ex opinione magni nominis amicorum eius, Io. Winckelmann et Ant. Raph. Mengs, teſte H. H. Füssli in *Allgem. Künſtler-Lexic.* T. II. vol. I.

ad naturae veritatem percipere potuerint. Nam etiamſi eiusmodi vitium concedamus, procul dubio tamen pigmenta ſua eadem ratione ac ipſa quae pingebant obiecta perceperunt, ita vt et ſpectatoribus aequali et naturae congruente modo temperata, apparere debeant.

§ 4.

Aculeus in extrema cauda leonis.

Homervs *b*), totque alii poſt eum in vtraque lingua veteres poetae *c*) quando leonem iratum deſcribunt, eum ſaeuae ſe, vt Lvcanvs ait *d*), ſtimulare verbere caudae, memorant. Et Plinivs quidem leonum animi indicem caudam vocat. "Immota" nempe vt inquit," placidus, clemens, blandientique ſimilis, quod rarum eſt: crebrior enim iracundia; cuius in principio terra verberatur: incremento terga, ceu quodam incitamento flagellantur" *e*). Alexander vero Aphrodiſienſis inter problemata refert *f*): cur quam plurima animantia caudas motent cum notos agnoſcunt, leo vero latus verberet, cum iraſcitur, eodemque modo taurus?

Vetus vero ſcholiaſtes Homeri, qui Didymi Alexandrini nomine vulgo venit, ad Iliadis locum quem citauimus, aſſerit: "*habere leonem in cauda inter medios crines* aculeum nigrum, *inſtar corniculi, quo punctus dolore magis adhuc irritetur*" *g*). Quam autem ſententiam a nuperis commentatoribus eo magis inter figmenta

b) *Il.* XX. 170 ſq.

c) vc. Hesiodvs in *ſcuto Herc.* 430 ſq.

d) *Pharſal.* l. l. 208.

e) l. VIII. S. 19.

f) *probl.* CXLVIII.

g) *Εχει δε τι εν τῇ ουρᾷ ανaμεσον τῶν τριχῶν κεντριον μελαν, ὡς κερατιον, ὑφ' οὗ νυττομενος* (— al. *τυπτομενος* —) *πλεον αγριοῦται.* pag. 596. ed. Oxon. 1695.

Minus plene eadem repetuntur ab Evstathio ad h. l. et in *Etymologico* M. ſub vocibus *ουρα* et *αρχιος*.

menta relatam accepimus *h*) quod nullus anatomicorum quibus hactenus leonem ſecandi occaſio data erat, huiusmodi aculei mentionem iniiciat *i*).

Contigit tamen mihi eſſe tam felici, cum ante biennium Sereniſſimi Principis munificentia, cui iam a longo inde tempore tot ſplendida muſei mei ornamenta debeo, recentiſſimo cadauere nuperrime defunctae leaenae donarer, vt ſcholiaſtis graeci memor caudam quoque ferae belluae curatius luſtrans, vtique in extremo eius apice paruulum aculeum conſpicerem, fuscum, corneae quaſi duritiei, ad baſin qua cuti inſidebat, plica eius annulari cinctum; (— fig. 4. —) cumque corium eo loco caute disſecarem, folliculum reperi ſingularem, quaſi glanduloſum cui aculeus iſte arcte adhaerebat. Haec omnia quidem adeo minuta et paruulus ille corneus apex ita inter flocçoſos extremae caudae pilos absconditus, vt de vſu quem veteres ſcholiaſtae ipſi tribuerunt, ne cogitare quidem liceat; ipſa tamen huius organi fabrica tam elegans et forma eius adeo regularis vt vix ac ne vix quidem pro fortuito et abnormi naturae vt vocant luſu habendum videatur. Aliis, quibus occaſio dabitur, inquirendum relinquo num et qualis forte reſpectu aetatis aut ſexus, varietas in eius conformatione et magnitudine obſeruabilis ſit. Interim mihi qui, vt candide fatear, absque ſignificatu veteris iſtius ſcholiaſtis, eam disquiſitionem non minus quam anteceſſores mei zootomici neglexiſſem, nouo et memorabili exemplo fuit inſignis veterum in naturae obſeruatione acuminis et multifarii et vberis fructus quem in naturalis hiſtoriae ſtudio ex lectione eorum hodieque haurire licet.

§. 5.

h) cf. vc. deſideratiſſ. HEYNE *obſeruat. in Iliadem* vol. II. P. III. (T. VIII.) pag. 43.

i) Etiam egregius FRANC. SERAO, archiater quondam Neapolitanus de eo ſilet, qui tamen caudam leonis curatius deſcribit. v. *conſideraz. anat. fatte ſopra un leone*, in EI. *opuscoli di ſiſico argumento*. pag. 69.

§. 5.

Characteres gentilitii mongolicae generis humani varietatis.

Cum haud ita pridem ſodalis noſter illuſtris, Gvil. Vincent eccleſiae cathedralis Weſtmonaſterienſis Decanus, ſecundae editionis ditiſſimorum ſuorum commentariorum in vtrumque periplum, Nearchi ſcil. et maris erythraei *k*), exemplar ſplendidum et innumeris annotationibus autographis adhuc auctum, Regiae Societati dono mitteret, ſubſeciuis horis eos perluſtrans itidem in varia incidi iſtarum nauticarum relationum capita, quae huic ſpicilegio aptam materiem praebere videbantur.

Ita auctor poſterioris peripli, qui vulgo Arriano tribuitur, primum ni fallor accuratam et naturae veritati reſpondentem deſcriptionem gentilitii characteris Mongolicae generis humani varietatis exhibet, ſiquidem *Seſatarum* barbaram gentem cum vxoribus ſuis et liberis annuas quae in confiniis Thinae habentur nundinas frequentare, memorat, eamque nationem ſtatura corpulenta et quadrata, facie lata et naſo valde depreſſo, inſignem eſſe dicit *l*).

Cl. Vincent eos Seſatas pro vna eademque gente cum Beſadis Ptolemaei *m*), qui auctori peripli circ. coaeuus videtur, habet, cuius quidem deſcriptio iſtius nationis cum ea Seſatarum in iſta memorabili narratione nautica, conuenit, niſi quod principem characterem ſimae naris intactum relinquat. Ab altera contra parte peccare videtur profanae hiſtoriae immortalis parens Herodotvs, (quem ceterum ad principes et vberes naturalis hiſtoriae fontes referre oportet)

k) *The Commerce and Navigation of the Ancients in the Indian Ocean.* in two volumes. Lond. 1807. 4. quibus accedit: *the voyage of* Nearchus, *and the periplus of the erythrean Sea.* Oxon. 1809. 4.

l) Κατ' ετος δε παραγινεται επι την συνοριαν τῆς Θινας εθνος τι, τῷ μεν σωματι κολοβοι και σφοδρα πλατυπροσωποι, σιμοι εις τελος, αυτους δε λεγεσθαι Σησατας, παρομοιους ανημεροις. pag. 116.

m) pag. 177. ed. Mercator. 1605.

oportet) quando Argippaeis ſuis, procul dubio quoque ad Mongolicam hominum ſtirpem attinentibus magna menta (γενεια μεγαλα) tribuit *n*), cum potius breue mentum ad maxime characteriſticas iſtius hominum varietatis notas gentilitias pertineat *o*), adeo vt eo additamento reliqua mongolici vultus deſcriptio non minus corrumpatur et agnitu difficilis reddatur quam ſi quis aethiopico aquilinum naſum tribueret.

§. 6.

Oues domeſticae denuo efferatae.

Animantium domeſticorum vti quaedam genera manifeſto ad feras ſuas ſtirpes primitiuas referenda ſunt, vt ſues, feles, cuniculi etc. ita alia contra naturali ſuo vitae generi ita ſenſim ſubducta videntur vt nuspiam adhuc in fero ſtatu reperiantur, imo vero quae primaeua eorum patria fuerit, nunc pro certo dici nequeat. Ita enim de genuino ſolo quod primitus aluerit equos aut canes eſt quod dubites; dummodo caueas, ne efferatos qui poſtquam manſuefacti erant, caſu quodam in locos incultos transfugi ſe propagarunt, cum iis qui ab origine et natura ſua feri fuerant confundas. Nam equorum v.c. efferatorum integrae greges Paraguariae ſyluas hodie pererrant etſi vel vulgo notum ſit nouum orbem ante primum Hispanorum aduentum equis plane caruiſſe. Eadem ratione alias animalium domeſticorum ſpecies, canes, feles, boues et ſues per eosdem qui primi Americam occuparunt Europaeos illinc translatas caſu poſtmodum efferatas et propagatas iam memorat OVIEDVS claſſicus inter primos

n) *Melpom.* pag. 290. ed. Weſſeling.

o) Inſtar omnium citaſſe ſufficiat PALLASII teſtimonium in *Nachrichten über die Mongoliſchen Völkerſchafften* T. I. p. 99. "*allgemein ſind ihnen ſchwarzbraune Augenſterne, ein kurzes Kinn*" etc. etc.

v. etiam poſt tot alios *Voyage* DE LA PEROUSE *autour du monde* T. III pag. 68.

primos de nouō orbe ſcriptores *p*). Ita et in Europa efferatorum canum, felium, caprarum, boum et equorum numeroſa obſeruata ſunt exempla. Vnice de ouibus ne vnum quidem mihi hactenus innotuerat indubitatum *q*), donec doctiſſimum VINCENTII opus perluſtrans in memorabilem incidi locum vbi NEARCHVS in nautici itineris deſcriptione de inſula Cataia deſerta et Mercurio ac Veneri ſacra ad oras Carmaniae ſita refert, vicinarum inſularum incolas quotannis o u e s et capras huc transferre et iſti deo deaeque ſacrificare, quae vero animalia temporis progreſſu in deſertis efferata fuerint *r*). De feris quidem in Phrygia ouibus quorum VARRO meminit *s*) quod greges ibi videantur complures, decidere non audeo; interim tamen et hi maiori probabilitatis ſpecie pro efferatis quam quae PENNANTI opinio fuit pro capra ammone habendi videntur.

§. 7.
Genuinus o p ſ i a n u s lapis.

Ne autem mineralogiam in hoc ſpecimine plane intactam linquamus, de *o p ſ i a n o lapide* quoque aliqua adiiciendi, opportunam anſam praebet maris erythraei periplus, qui natiuum locum vbi hoc foſſile ad ſinus arabici oram reperitur, curate indicat *t*).

Cumque

p) de canibus Europaeis in America efferatis, cf. etiam Generoſ. noſtri Sodalis ALEX. DE HUMBOLDT *Anſichten der Natur* P. I. pag. 87.

q) Nam quae OLDENDORPIVS obiter de ouibus efferatis memorat quas in altis montibus inſulae Indiae occidentalis S. Crucis viſas eſſe relatum accepit, parum firmo niti talo videntur. v. EI. *Geſchiche der Miſſion der evangeliſchen Brüder* etc. T. I. pag. 84.

r) Ες ταυτην (νησον) ὁσα ετη αφιεται εκ των περιοικων π ρ ο β α τ α και αιγες, ἱρα τω Ἑρμῆ και τῇ Αφροδιτῃ. Και ταῦτα απηγριωμενα ἦν ὁρᾶν υπο χρονου τε και ερημιης, pag. 59.

s) de R. R. l. II. c. I. pag. 238. ed. I. M. GESNERI.

t) pag. 73. poſtquam de Aduli eiusque memora bilibus egerat, ita pergit: Και απο σταδιων ὡσει οκτακοσιων, κολπος ἑτερος βαθυτατος, οὗ κατα την εισβολην εν δεξιοῖς αμμος εστιν πολλη κεχυμενη, καθ᾽ ἧς εν βαθει κεχωσμενος ἑυρισκεται ὁ ο ψ ι α ν ο ς λ ι θ ο ς, εν εκεινῃ μονῃ τοπικῶς γεννωμενος.

Cumque ex nota quam inter tot alias exemplo quod dixi claſſici ſui in eum commentarii adſcripſerat S. R. Vincent, diſcerem virum cl. H. Salt itineribus in Aethiopiam aeque ac in Arabiam et Indicam peninſulam factis celebrem, ipſum eum locum inuiſiſſe, opſianum lapidem ibi reperiſſe, et in Angliam attuliſſe aueremque problematicum hactenus hocce foſſile videndi, humaniſſimus ille noſter ſodalis ſtatim me binis eius ſpeciminibus donauit quae celeber iſte peregrinator m. Ian. 1809 inter arenas littorales ſinus aethiopici Howakih (lat. bor. 15° 10′) collegerat *u*), et quae primo intuitu varios mineralogorum et archaeologorum de opſiano et obſidiano lapide disſenſus *x*) componere poterant vt ex deſcriptione oryctognoſtica ad ipſa exempla quae coram habeo confecta, patebit.

Color enim huic lapidi nigerrime coruinus; in politorum tamen ſpeciminum altera ſuperficie ſtriis parallelis paulo minus atris diſtinctus;

Forma qua reperitur ſubgloboſa, obtuſe anguloſa, quam Cl. Vincent iſti tuberum ſolani eſculenti comparat;

Magnitudo ſpeciminum vncias aliquot diametro aequans, paſſim ad eam pugnae accedens;

Nitor inter piceum et vitreum medius;

Fractura microconchoidea;

Impel-

u) cfr. H. Salt's *voyage to Abyſſinia* a. 1809 *and* 10. Lond. 1814. 4. pag. 192 ſqq.

x) cf. inprimis Andr. Libauii *Singularium* P. III. pag. 796 ſqq.
Salmasivs in Solinum pag. 91. 204.
C. de Caylvs in *Mém. de l'acad. des inſcriptions* T. XXX. pag. 457 ſqq.
Ad. Fabbroni in *Opuscoli ſcelti ſulle ſcienze e ſulle arti* T. XI. pag. 369 ſqq.
Andr. I. Retzii *obſerv. de lapide Obſidiano.* Lund. 1799. 4.
et Chr. Avg. Schwarze *de Theophraſti Liparaeo lapide.* Gorlit. 1801. fol.

Impellucidus, praeterquam in tenuiſſimis lamellis, quae ad candelae lumen paulisper et quidem ex griſeo in ſaturate porraceum colorem translucent;

Durities eximia, inſignem polituram admittens;

Grauitas ſic dicta ſpecifica = 2,410.

Quae quidem omnia demum demonſtrant genuinum opſianum lapidem aethiopicum, nuper demum denuo repertum, paucis vero mineralogis hactenus viſum, reuera vnum eundemque eſſe eum Obſidiano vulgari qui quondam inepto achatis Islandicae nomine venire ſolebat.


FIGVRARVM EXPLICATIO.

Fig. 1. Eskimotarum perſpicillum ligneum ab interiore facie.

Fig. 2. Idem antrorſum viſum.

Fig. 3. Eiusdem in medio ad verticem ſecti lateralis delineatio. v. §. 2.

Fig. 4. Aculeus in apice caudae leoninae. v. §. 4.


1
a
2
3
4